

dominicis et festivis excommunicatos sollempniter nuntietis et faciatis usque ad satisfactionem condignam artius evitari. Datum apud Urbem veterem III. Nonas Septembris anno quinto.

Aus dem Liber regestor. an. V. ep. 101. fol. 20. im Vatican. Archiv.

No. 91. 1220. 31. Dec.

P. Honorius III. befiehlt den apostol. Legaten, Cardinal Gregorius de Crescentio wohl aufzunehmen und dessen Anordnungen Folge zu leisten.

Honorius episcopus etc. venerabili fratri episcopo Missinensi et dilectis filiis abbatibus, prioribus et aliis ecclesiarum praelatis per eius diocesan constitutis salutem etc. Suscepti cura regiminis, quae nos omnibus constituit debitores, exposcit, ut qui officium speculatoris assumpsimus, non solum ad prope positos, sed etiam ad longe positos nostrae sollicitudinis aciem extendamus, ac de agro dominico studeamus extirpare plantaria vitiorum, ne forte illis per nostram incuriam exerescentibus nobis possit adaptari, quod legitur: Per agrum hominis pigri transivi, et ecce urticae repleverant eum, et operuerant faciem eius spinae.^{a)} Quia vero humanae conditionis natura non patitur, ut per nos ipsos cuncta nobis imminetia exequamur, exemplo eius, qui cum ubique sit praesens, spiritus angelos suos facit et in diversa ministeria mittit illos, aliis ea exequenda committimus, quae per nos ipsos exequi non valemus, maiora maioribus, prout ratio singulorum exostulat, committentes. Ut igitur in persona eius, quem ad vos destinare curavimus, plenius agnoscatis, quam et quantam de vobis sollicitudinem habeamus, ecce mittimus ad vos dilectum filium nostrum Gregorium de Crescentio sancti Theodori diaconum cardinalem apostolicae sedis legatum, virum utique prudentia et honestate conspicuum ac nobis inter ceteros fratres nostros suis meritis exigentibus specialiter carum, commisso sibi plenae legationis officio et concessa sibi plenaria potestate, ut evellat et destruat, aedificet atque plantet, prout quaeque secundum datam sibi a deo prudentiam viderit facienda. Ideoque universitati vestrae per apostolica scripta firmiter praecipiendo mandamus, quatinus ipsum, immo verius nos in ipso recipientes hilariter et honorifice pertractantes, eidem tamquam personae nostrae intendatis et obediatis humiliter et devote, ac ipsius salubria monita et statuta irrefragabiliter observetis. Alioquin sententiam, quam rationabiliter tulerit in rebelles, praecipimus usque ad satisfactionem inviolabiliter observari. Datum Laterani II. Kal. Januarii pontificatus nostri anno quinto.

In eundem modum scriptum est . . . archiepiscopo Gnesnensi, abbatibus, prioribus et aliis ecclesiarum praelatis per eius diocesan constitutis, archiepiscopo Upsallensi et suffraganeis eius, abbatibus etc., archiepiscopo Lundensi etc., episcopo Pragensi etc., episcopo Olomucensi etc., episcopo Noscensi et abbatibus etc., episcopis Lubecensi, Razeburgensi, Sverinensi et Caminensi etc.

Aus dem Lib. regestor. an. V. ep. 307. Tom. III. fol. 62 im Vatican. Archiv. Vett. monum. Poloniae et Lithuan. historiam illustr. ed. Theiner. Tom. I. p. 11 sq.

a) Prov. 24, 30. 31.